

actionem poenitentiae esset ordinarius, cum exhibeatur ab omnibus libellis antiquissimis. Quid ergo erit consequens? hoc unum, in arbitrio Episcopi situm fuisse vel statim a confessione vel post actam poenitentiam pro certis gravioribus criminibus absolutionem sacramentalem dare, atque hoc alterum in quibusdam Ecclesiis fuisse usurpatum; generatim vero consuevisse Ecclesias olim statim a confessione absolvere sacramentaliter; ut proinde altera absolutio, quae in fine dabatur, esset absolutio a reatu poenae. Qua in re ludit Morinus, qui nisi ea sit absolutio a culpa, vult esse meram ceremoniam, qua finis imponatur poenitentiae: id profecto non dicimus; nam absolutio a poena non est mera ceremonia. Et sane in lib. II Constit. Apostolicarum, qui totus est in eo ut Episcopos doceat quomodo oporteat suscipere poenitentes, illosque persuadeat ut omnes a quibuslibet vel gravissimis peccatis conversos et poenitentes recipiant et imposita quidem convenienti poenitentia reconcilient, dicitur: « Poenitentibus autem venia concedenda est. Nam simul ac peccator dixit ex animo sincero: peccavi domino, respondet Spiritus S.: et Dominus remisit tibi peccatum, confide non morieris ». Si haec est ratio cur poenitentibus danda sit venia, quoniam poenitentes sincere detestabantur peccatum suum, cum ipsam actionem susciperent poenitentiae, non liquet cur Episcopus non statim ipsis dicere deberet quod Spiritus S. dicebat, manente quidem obligatione satisfactionis exhibendae Deo, quemadmodum mansit et Davidi, cui tamen statim remissa fuit culpa. S. Leo quidem epist. ad Theodorum distinguit actionem poenitentiae datam confessis, tum purgationem salubri satisfactione, tum per ianuam reconciliationis admissionem ad communionem sacramentorum. Verum cum actio poenitentiae daretur, nonne et absolutio a culpa dabatur? Praeter ordines poenitentiales, quos iam id testari audivimus, certiores nos huius rei facit ipse Augustinus, qui (cf. eius verba pag. 441) narrat ingruentibus periculis anxios fuisse fideles, et alios *reconciliationem petivisse*, alios *poenitentiae ipsius actionem*, omnes sacramentorum erogationem. Cum omnes Sacramenta peterent, liquet quod et ii qui poenitentiae actionem petebant, aliquod Sacramentum postulabant, quod sine sacramentali absolutione nullum fuisset: qui vero reconciliationem, quae et *pax* dicebatur, petebant, communionem praeterea flagitabant. Sane quid profuisset hominibus in discrimine vitae constitutis sola impositio agenda poenitentiae, quae nec poterat agi? Huc facit, quod iam monuimus (pag. 83), Innocentii testimonium; olim quibusdam sero resipiscentibus *duriores* concessam fuisse *remissionem*, h. e. *datam poenitentiam, negatam communionem*: cum dabatur scilicet poenitentia seu actio poenitentiae, remissio quaedam

dabatur, non autem ea reconciliatio, qua ad communionem admittebantur.

Hinc poenitentes qui morte instante reconciliabantur admissi ad communionem (can. nicaeno), si convaluissent, poenitentiae curriculum reliquum obibant, ac in eius fine certe absolutio eis dabatur: a quo autem vinculo absolvebantur? absolutio quidem a culpa necessaria haud erat, quae iam remissa fuerat: si ergo necesse erat eam aliam recipere absolutionem, haec erat a reatu poenae.

XI. Et re quidem vera ratio non est cur credamus quod, abolita poenitentia publica, alia essentialis mutatio inducta sit praeter publicitatis abolitionem: quapropter novimus canones poenitentiales adhuc viguisse. Pronum idcirco est inferre quod idem ordo quoad absolutionem et satisfactionem obtinuerit olim in poenitentia publica ac postea obtinuit in sola secreta. Atqui si conferas librum poenitentialem Iohannis Ieiunatoris sub finem sec. VI, qui totus est de poenitentia secreta, disces quod, quaelibet sint peccata vel gravissima, post confessionem indicitur absolutio, ac postea executio satisfactionis. Idem ergo in Oriente olim et in poenitentia publica fiebat. Quid quod presbyter poenitentiarius (cf. pag. 374) ad dandam actionem poenitentiae deputatus confessos statim absolvebat postmodum a se poenas exacturos? quod adversarii non negabunt valuisse saltem cum a poenitente publica poenitentia agenda non erat. Ergo.

Ex his autem satis liquet mendacium Iansenianum, quod recente aetate ordo praeposterus inductus sit in poenitentia christiana, quoad absolutionem, quae praeventit satisfactionem.

XII. Censere ergo licet poenitentiam canonicam impositam ab Ecclesia vetere eo per se spectasse ut per convenientes satisfactiones emendarentur qui peccaverant et sic digni redderentur participatione Sacramentorum altaris: quae oeconomia non quidem ex se necessaria, sed utilis maxime erat ea aetate, ut inter tot pericula et scandala fideles cognoscerent ac sentirent et peccatorum malitiam et suae religionis sanctitatem.

XIII. At controversia ipsa cum Montanistis et Novatianis nonne nos docet quod ea aetate absolutio a peccatis peracta poenitentia dabatur? Sic enim arguit Morinus (Lib. IX. c. 3. n. 6.). Poenitentiam illi haeretici imponebant, sed absolutionem poenitentia functis negabant; contra quos hac praesertim ratione (cf. Tertull. de Pudic. c. 2.) pugnabant catholici, quod frustra ageretur poenitentia nisi absolutione remuneraretur. Absolutio igitur merces erat et praemium peractae poenitentiae.

Respondeo eandem vim inesse argumento catholicorum sive ab initio poenitentiae sive post ipsam detur absolutio. Nam cur poeni-

tentiam illam incipiam per confessionem Sacerdoti factam, postea executurus quod mihi ipse praeceperit in satisfactionem, si veniam ab eo sperare nequeo sive post confessionem libere suscepto onere poenitentiae, sive saltem post istam exactam? Utroque in casu verum semper est, veniam esse mercedem quamdam poenitentiae, nam etsi statim a confessione absolutio datur, venia culpa merces est poenitentiae sitae in confessione et dolore de proposito satisfaciendi, venia autem plenior poenae merces est satisfactionis peractae. Quare opus non erat catholicis contra haereticos haec tam subtiliter distinguere.

Iam quidem incipiunt recentiores theologi in hanc, quam defendimus, concedere sententiam, reiectis opinionibus, quas quaedam imprudens eruditio nonnullis suffulta nominibus confixerat et ceteris pene imposuerat. Sic inter alios tenet cl. H. Hurter in op. cit. n. 551. cuius certum argumentum suis ipsius verbis referre placet. « Candide fatemur, hanc sententiam (Morini ac sequacium) nullatenus posse probari. Quis enim putet, absolutionem pluribus annis fuisse seiunctam a peccatorum confessione? et nisi statuere velimus poenitentem obligatum fuisse bis eadem peccata confiteri, quomodo potuisset Sacerdos absolvere poenitentem, qui ante aliquot annos sibi confessus fuisset? Quid si Sacerdos, cui poenitens sua peccata est confessus, interim moreretur? » etc.

Dices cum reconciliarentur poenitentes ante exactam poenitentiam ob mortis periculum, postea, si convaluissent, iubebantur persequi et explere cursum poenitentiae. Haec erat oeconomia quaedam specialis pro poenitentibus, quibus instaret mortis periculum: at si statim a data actione poenitentiae absolvebantur, ea fuisset oeconomia universalis, ut licet reconciliati poenitentiam agerent.

Respondeo. Aequivocatio est in nomine reconciliationis. Poenitentes instante morte reconciliabantur communione altaris, etsi non completo cursu poenitentiae: at cum daretur actio poenitentiae, reconciliabantur Deo per absolutionem solam sacramentalem, dilata, cum graviora fuissent crimina diluenda poenitentia publica, ad finem eius communionem.

Dices rursus: nonne Patres docent ad obtinendam *remissionem peccatorum* gravem et longam poenitentiam requiri? qui fieri ergo potuit ut statim a confessione absolverent?

Respondeo id fieri potuisse non secus ac modo fit, cum confessi absolvuntur, etsi sciamus et credamus quod Trid. Synodus docet, peccata post baptismum admissa magnis fletibus et laboribus expianda esse. Unde vero habes quod Patres de *remissione peccatorum* loquentes loquantur solum de remissione culpa? Audi Iustinum in fine Dialogi cum Triphone: « Cuius peccatum (Davidis scilicet)

tum demum remissum est, cum ita ploravit et lamentatus est, sicut scriptum est. Verum enim vero si viro tanto non est ante noxa remissa, quam Poenitentiam egit ac tum demum cum tantopere flevit et res tantas fecit magnus ille Rex et unctus et propheta, quam tandem impuri isti et nullius mentis comploratique adeo homines, nisi lamentati fuerint, planxerint et poenitentiam egerint, spem habere poterunt non imputatum iri illis a Domino peccatum? » Putas ne heic de sola remissione culpa sermonem esse? Nae quam male argumentatus esset Iustinus ex historia Davidis, cui, vix ac corde contritus fuit, remissum quoque fuit peccatum, ut Patres monere non cessant. Poenitentia vera, quam postea egit, ad expiationem valuit pro poena, ut ipsa Trid. Syn. nos docet. Loquitur ergo Iustinus de plena remissione culpa et poenae, quam parit laboriosus baptismus: atque ita harmonice cum doctoribus Ecclesiae praesentis intelligendi sunt Patres priorum seculorum.

Dices: si haec vera sunt, corrui magna ex parte ingens opus Morini, quod est *Commentarius historicus de disciplina in administratione Sacramenti Poenitentiae*.

Respondeo non exinde magnum incommodum laturam Theologiam. Manebit quidem suppellex collecta monumentorum; at plerumque alia interpretatio a moriniana erit iisdem adhibenda: quod quidem in hac tractatione plus semel ostendere conati sumus.

XIV. Redeamus ergo ad argumentum Eusebii Amort, occasione cuius haec omnia dicta sunt. Peracta poenitentia dabatur absolutio efficax coram Deo, absolutio a peccatis, non vero a reatu culpa: ergo a reatu poenae. Notio vero huius absolutionis magis declaranda est. Nam quid praestabat haec absolutio, cum iam per poenitentiam tot annis actam factum esset satis divinae iustitiae? Atqui istud gratis tu affirmas, illudque est quod Ecclesia nosse nunquam poterat, ut proinde locus semper esset remissioni poenae, utique si superesset, quemadmodum et nunc supponitur cum huic vel illi indulgentia conceditur. Sane advertite primum quod intra eandem speciem peccatum potest esse magis vel minus grave secundum circumstantias, intentionem agentis et intensitatem actus interioris: attamen peccatis eiusdem speciei idem poenitentiae modus imponebatur. Deinde valor satisfactionis non ex solo opere externo libere quidem et devote suscepto, sed ex interiore animi fervore et humilitate dependet, quae profecto diversa esse poterant in poenitentibus eidem subiectis poenitentiae. Tertio ignorat Ecclesia quanta sit poena temporalis, reliqua post remissam culpam, debita cuilibet peccatori. Hinc consequabatur quod etiam tunc, cum tempus poenitentiae a canonibus statutum integre et pie transactum fuisset, non constaret Ecclesiae an debito

omnis poenae factum esset satis, imo satis temere id fuisset affirmatum. Locus igitur erat absolutioni a reliquo debito poenae. Itaque cum ab Ecclesia poenitentibus absolutio daretur, absolutio a peccatis coram Deo, quae idcirco mera ceremonia non erat, sed actus potestatis efficax coram Deo; erat idcirco remissio poenae, quae superesset, debitae Deo.

Quae quidem remissio erat plena, ut idcirco functio poenitentiae cum absolutione Episcopi equipararetur baptismo, quo omnis tollitur reatus. Ita enim loquitur auctor Constit. Apostol. L. II. c. 38. « Si quis conversus poenitentiae fructum ediderit, tum ad orationem eum admittite, ut filium, qui perierat, illum prodigum.... Ita igitur et tu fac o Episcopo! et quemadmodum ethnicum baptismo lotum post didascaliam in Ecclesiam inducis, similiter super hunc manum impone tanquam poenitentia repurgatum, omnibus pro eo deprecantibus, restitues eum in antiqua eius pascua, eritque loco baptismi impositio manus: etenim per impositionem manuumstrarum (Apostoli sunt qui loquuntur) Spiritus S. dabatur credentibus ». Idcirco sub initium seculi VI fideles in Galliis dubitabant quidem an qui in infirmitate positus poenitentiam accepit et statim defunctus fuerit, ad *plenam possit indulgentiam pervenire*, sed hoc ipso significabant se credere quod qui poenitentiam sanus acceperat sub ministerio Sacerdotum plenam indulgentiam consequeretur.

XV. Remissionem poenae coram Deo, pro qua poenitens non satisfecerat, datam esse ea absolutione, qua poenitentes reconciliabantur, demonstratur quoque ex eo quod martyrum passiones loco satisfactionis, quam deberent poenitentes, accipiebantur ab Episcopis, et hi auctoritate ecclesiastica propter merita martyrum reconciliabant poenitentes vel nondum peracto poenitentiae stadio vel eo non absoluto. Testis huius praxis satis notus est Tertullianus, qui eam in catholicis reprehendit de Pudicitia c. 22. « At et in martyres effundis hanc potestatem. Quis permittit homini donare quae Deo reservanda sunt? Sufficiat martyri *propria debita purgasse*: ingrati vel superbi est *in alios quoque spargere* quod pro magno fueris consecutus ». Et infra martyrem alloquens: « si peccator es, quomodo *oleum faculae tuae sufficere et tibi et mihi poterit?* » Eiusdem rei testis frequens est etiam Cyprianus. Cf. eius librum de lapsis. Quare epist. XII. ait: « Occurrendum puto fratribus nostris, ut qui libellos a martyribus acceperunt, *praerogativa eorum apud Deum adiuvari possint* ». Ex quibus constat passiones martyrum applicatas iis, pro quibus ipsi oraverant, valuisse ad satisfaciendum apud Deum pro debito illorum. Haec vero applicatio, quod notandum est, non privata auctoritate martyrum, sed publica Episcopi fiebat: « Mandant

(ait Cyprianus de lapsis n. 48) aliquid martyres fieri. Si iusta, si licita, a Dei Sacerdote facienda sunt ». Et in epist. X ad Confessores, qui pacem lapsis petierant dari, ait se cum maximo animi dolore cognoscere « non tantum illic vobis non suggeri divina praecepta, sed adhuc potius impediri, ut ea quae a vobis ipsis et circa Deum caute et circa Sacerdotem Dei (Episcopum) honorifice fiunt, a quibusdam presbyteris resolvantur, qui nec timorem Dei *nec Episcopi honorem* cogitantes, cum vos ad me litteras direxeritis, quibus *examinari vestra desideria* et quibusdam lapsis pacem dari postulastis, cum persecutione finita convenire in unum cum clero et recolligi ceperimus, illi contra Evangelii legem, contra vestram quoque honorificam petitionem, ante actam poenitentiam, ante exemologesim gravissimi atque extremi delicti factam, ante manum ab episcopo et clero in poenitentiam impositam, offerre pro illis et eucharistiam dare idest sanctum Domini corpus profanare audeant etc. ». Hinc et Romanus Clerus (epist. Cypr. XXX): « Mirati sumus lapsos eo usque prosilire voluisse ut pacem non tam peterent, quam vindicarent, imo iam in caelis se habere dicerent... si dandam illis pacem Martyres iudicaverunt, cur ipsi non dederunt, cur ad Episcopum remiserunt? »

Iam vero martyrum passiones, quas loco poenitentiae peragendae a fidelibus acceptabat Ecclesia, non eo spectabant ut poenitentibus rigor poenitentiae impositae ab Ecclesia relaxaretur; nam primo martyrum passiones eos poenitentes iuvabant apud Deum, tum applicabantur fidelibus poenitentibus in mortis etiam periculo, quando gratia relaxationis legis poenitentiae fuisset irrisio quaedam. Cum autem passiones martyrum applicatae poenitentibus eo spectarent ut isti propter illas quandam remissionem apud Deum obtinerent ministerio Ecclesiae, et quidem eam remissionem, ad quam suis propriis satisfactionibus eniti debuissent, haec vero sit proprie remissio poenae, consequitur Ecclesiam propter satisfactiones Martyrum Deo oblatas remisisse poenam coram Deo iis poenitentibus, pro quibus Martyres oraverant. Dices eo spectasse Martyrum merita ut poenitentibus citius reconciliatio et pax per communionem daretur. Respondeo primo quod in hac hypothesi opus non fuisset meritorum Martyrum pro reconciliandis morituris per sacramentum Altaris: nam lex antiqua erat, teste Nicaena Synodo, ut poenitentibus communio non negaretur. Respondeo secundo quod cum poenitentibus propter martyrum preces citius reconciliatio et pax dabatur, haec illis conferebatur per eam absolutionem, quae in fine poenitentiae dari solebat, qua remissio poenae coram Deo concedebatur: remissio ergo poenae ab Ecclesia dpropter merita martyrum concedebatur.

Itaque fuit olim remissio poenae poenitentibus concessa propter merita sanctorum auctoritate Ecclesiae, quae quid a nostra indulgentia differt, si essentiam rei spectas? Neque enim cogitare licet praetermissa fuisse merita Christi, quorum certa mentio in absolutionibus fiebat, et sine quibus nihil valuissent merita martyrum.

XVI. Erat ergo antiquitus in Ecclesia tum latina tum graeca, quibus communis erat praxis poenitentiae, usus concedendarum indulgentiarum. Immerito proinde Protestantes obiiciunt nullum in Ecclesia graeca usum fuisse Indulgentiarum. Nam primo nihil ex non usu colligi hac in re monuimus in initio huius §. Deinde unde hanc notitiam hauserunt Protestantes? nonne graeci, quemadmodum latini, absolutionem dabant in fine poenitentiae publicae? nonne censere licet et ipsos martyrum merita et intercessionem pro poenitentibus admisisse? non enim hic usus, ut Protestantes volunt, in sola Africa obtinuit; nam simile quid narratur de martyribus Lugdunensibus et Viennensibus (Euseb. H. E. V. 2), in quibus Ecclesiis plures erant graeci et in Graecia instituti. Quod si deinceps non adeo usus indulgentiarum in Ecclesia graeca adolevit, id (cum ipse usus rei ad disciplinam spectet, quae varia esse potest in diversis Ecclesiis) nihil officit fidei totius Ecclesiae in potestatem divinitus acceptam remittendi poenas Deo debitas, extra Sacramentum. Cf. H. Hurter l. c. n. 583. seq.

§. III.

Demonstratio potestatis concedendi indulgentias in Ecclesia.

I. Praxis ipsa constans in Ecclesia indulgentias concedendi argumentum est Ecclesiam credidisse semper se hanc potestatem accepisse divinitus: idcirco iam demonstrata censi debet talis potestas. « Quod enim universa tenet Ecclesia, nec conciliis institutum est sed semper retentum, non nisi auctoritate apostolica traditum rectissime creditur, » ut fert notum axioma Augustini (de Baptismo contr. donatist. L. IV. c. 24), qui alibi quoque advertit: « si quid tota per orbem frequentat Ecclesia, iam quin ita faciendum sit disputare, insolentissimae insaniae est (epist. LIV. al. 118. c. 5.) ». Nihilominus aliud penitus argumentum quaeritur petitum ex ipsa natura potestatis, quam certo novimus a Deo Ecclesiae factam, et quaeritur an demonstrari valeat quod in ea continetur quoque potestas concedendi indulgentias. Notum est enim theologos generatim hanc facultatem demonstrare ex verbis Christi ad Petrum: tibi dabo claves regni caelorum: quodcumque solveris etc.: quaestio est igitur an ex his

confici possit demonstratio potestatis dandi indulgentias. Et quia potestatis huius exercitium innititur thesauro meritorum Christi et sanctorum, quaeritur quoque quomodo huius thesauri in Ecclesia existentia demonstratur.

II. Quaestio haec altera, si rite intelligatur, dicenda est soluta eo ipso quod solvitur prior. Nam quomodo concipi potest potestas Ecclesiae remittendi hominibus poenas coram Deo, nisi supposita satisfactione Christi, quam ipse pro omnibus omniumque peccatis Deo obtulerit, applicandam singulis per media a se instituta, cuius valor semper maneat in acceptatione divina? Quemadmodum enim potestas conferendi gratiam per Sacramenta supponit merita Christi, propter quae sola hominibus gratia conferri potest, ut idcirco qui demonstrat esse in Ecclesia potestatem remittendi peccata, demonstrat quoque exstare Christi merita applicabilia pro omnibus peccatoribus per potestatem clavium, ita qui demonstraverit divinitus collatam esse Ecclesiae potestatem remittendi poenas coram Deo, ipse iam demonstrasse dicendus est exstare Christi satisfactiones applicabiles omnibus poenitentibus ministerio Ecclesiae. Atqui istud est esse in Ecclesia thesaurum meritorum Christi dispensandum fidelibus auctoritate ipsius Ecclesiae. Et haec ratio fuit cur thesauri huius mentio explicita saltem non occurrat statim ac occurrit mentio indulgentiarum. Primus enim Pontifex, qui thesaurum hunc appellat, est Clemens VI. At, quod ipse Clemens in sua Decretali advertit, iure praesumitur quod Bonifacius in concedenda Iubilaei indulgentia ceterique Pontifices praedecessores ad hunc thesaurum respexerint: nam quomodo citra applicationem meritorum et satisfactionum Christi potest Ecclesia remittere solo exercitio potestatis poenam debitam coram Deo? Non erat ergo opus mentionem thesauri facere, nisi cum rei distinctior notitia per analysim suppeditanda fuit.

III. Quoad merita Sanctorum, ea quidem necessaria non sunt pro exercitio huius potestatis; sed cum reapse illa existant applicabilia nobis atque a Deo acceptentur ad hunc effectum, nequeunt a thesauro Ecclesiae excludi. Neque enim adduntur merita Sanctorum meritis Christi, ac si paria his existimarentur, aut haec insufficientia: sed quia vi meritorum Christi etiam merita Sanctorum aliquid valent, ut sic propterea ostendatur excellentia meritorum Christi, quae aliis quoque vim expiandi communicant. Cf. Bellarm. l. c. Lib. II. c. 5. Quod vero ea Sanctorum merita existant, quae nobis valeant applicari, patet posita hac triplici veritate: tum quod plures iusti plus satisfactionis exhibuerint Deo, quam eorum peccata exigent; perpende quae passi sunt tot sanctissimi Martyres, Monachi et Virgines et, quae immunis fuit ab omni peccato, b. Deipara: tum quod